

_Lettera_N_3971

Al papa Leone XIII

*Taurini, 20 januarii 1884

Beatissime Pater,

Joannes Bosco Sacerdos ad Sanctitatis Tuae Pedes provolutus humillime pro Salesiana Congregatione exponit:

Sub die 3 Aprilis 1874 haec Pia Societas a Sanctae Sedis clementia absolutam Constitutionum approbationem consecuta est; nonnullis privilegii deinceps donata. Quae tamen privilegia cum alia ad tempus, alia conditionata, aliaque vivae vocis oraculo fuerint concessa, crebrae et non leves difficultates in eorum praxi exortae sunt. Exempli gratia: Facultas litteras dimissoriales relaxandi ad decennium concessa anno 1874, die 3 Aprilis, hoc eodem anno et die elaboratur. Absque hujusmodi facultate quid agere poterit Superior in Congregatione quae domorum communionem habeat?

Quas difficultates caeterae Congregationes explanare generatim non potuerunt nisi per Privilegiorum Communicationem. Haec enim viam tutam cognitam, a piis, doctis viris signatam, a saeculis ad praxim traductam, a locorum Ordinariis admissam suppeditat.

Ut autem Salesiana Societas inter difficillimas temporum, locorum, personarum circumstantias finem suum consequi possit, hujusmodi Congregationis Superior Privilegiorum Communicationem postulat quemadmodum a Summo Pontifice Leone XII concessum fuit Taurinensi Congregationi Oblatorum Beatae M. V. |

Quae Congregatio absolutam et specificam approbationem obtinuit die 22 Augusti 1826 a beata Recordatione Leonis XII. Sub die vero 1 Septembris litteris apostolicis, postea die 12 ejusdem mensis et anni petitam Communicationem concedere dignabatur his verbis:

"Ex audentia SS. mus Congregationis introscriptae Superiorem Generalem, et Oblatos specialibus favoribus, et gratiis prosequens omnia, et singula indulta, privilegia, indulgentias, exemptiones, et facultates Congregationi SS. mi Redemptoris concessa iisdem Oblatis eorumque Ecclesiis, Capellis et domibus benigne communicat, extendit, atque in perpetuum elargitur cum omnibus clausulis et decretis necessariis et opportunis".

Nonnullae particulares declarationes separatim adnectuntur.

[Sac. Gio. Bosco]